



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXIV. Novembris. In Festo S. Joannis à Cruce Confess.

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62753)

Die XXIV. Novembris.

IN FESTO
S. JOANNIS à CRUCE CONFESS.
Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur. In Hymno: Iste Confessor. mutatur tertius versus.

Oratio.

DEus, qui sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis & Crucis amatorem eximium effecisti; concede: ut ejus imitationi jugiter inhærentes gloriam assequamur æternam. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiões de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joannes à Cruce Fontiberi in Hispania piis Parentibus natus, à primis annis certò innotuit, quàm Deiparæ Virgini futurus esset acceptus; nam quinquennis in puteum lapsus, ejusdem Deiparæ manu sublatu, incolūmis evasit; tanto autem patiendi desiderio flagravit, ut novennis spreto molliori lecto super farmentis cubare consueverit. Adolescens Hospitio pauperum ægrotantium Metymnæ Campi famulum sese addixit, quibus magno charitatis

)(

ardo-

ardore, vilissima quæque complectens officia præsto aderat, cujus exemplo excitati cæteri eadem charitatis munera ardentius obibant. Verùm ad altiora vocatus: Beatae Mariæ Virginis de Monte Carmelo Institutum amplexus est, ubi Sacerdos ex obedientia factus, feuerioris disciplinae, & arctioris vitæ cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est, ut ob jugem Dominicæ Passionis memoriam, bello in se, tamquam in infensissimum hostem indicto, vigiliis, jejuniis, ferreis flagellis, omnique pœnarum genere, brevi carnem cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifixerit: dignus planè, qui à Sancta Theresia inter Puriores, sanctioresque animas Ecclesiam Dei id temporis illustrantes recenseretur.

v. Honestum.

Lectio V.

Singulari vitæ austeritate, & omnium virtutum præsidio munitus, præ assiduâ rerum divinarum contemplatione diurnas, & mirabiles ecstases frequenter patiebatur: tantoque in Deum æstuabat amore, ut, cum divinus ignis sese intrò diutiùs continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare visus sit. Proximorum saluti summopere intentus, tum
in